

PARS SECUNDA.

CAUSA PRIMA.

GRATIAN. **Q**UIDAM habens filium, obtulit eum ditissimo Cenobio: exactus ab Abbate, & à Fratibus decem libras solvit, ut filius susciperetur; ipso tamen (beneficio ætatis) hoc ignorante. Crevit puer, & per incrementa temporum, & officiorum ad virilem ætatem, & Sacerdotii gradum pervenit. Exinde susfragantibus meritis in Episcopum eligitur, interveniente obsequio, & paternis precibus, datâ quoque pecuniâ cuidam ex Consiliariis Archiepiscopi, consecratur iste in Antistitem, nescius paterni obsequii, & oblate pecuniæ. Procedente vero tempore nonnullos per pecuniam ordinavit; quibusdam vero gratis benedictionem Sacerdotalem dedit: tandem apud Metropolitanum suum accusatus, & convictus sententiam in se damnationis accepit.

I. Q. Hic primum quaeritur, an sit peccatum emere spiritualia.

II. Q. Secundò, an pro ingressu Ecclesiæ sit exigenda pecuniâ; vel si exacta fuerit, an sit persequenda.

III. Q. Tertio, an ingressum, vel præbendas Ecclesiæ emere sit simoniacum.

IV. Q. Quarto, an iste sit reus criminis, quod eo ignorante pater admittit.

V. Q. Quintò, an liceat ei esse in Ecclesiâ, vel fungi ea ordinatione quam paternâ pecuniâ est affectus.

VI. Q. Sextò, an illi qui ab eo jam Simoniaco ignoranter ordinati sunt, abjiciendi sint, an non.

VII. Q. Septimò, si renuntians suæ hæresi sit recipiendus in Episcopali dignitate, vel non.

SPIRITUALIA EMERE NON LICET NEC VENDERE.

QUESTIO I.

GRATIAN. **Q**UOD autem spiritualia emere peccatum sit, probatur multorum autoritate. Ait enim

I. LEO PAPA. [an. 444. Româ in Venetiam.]

Simoniaci gratiam non præstunt, quam vendere quaerunt.

GRATIAN. **R**atiâ ^a si non gratis datur, vel accipitur, gratia non est. Simoniaci autem non gratis accipiunt: igitur gratiam, quæ maxime in Ecclesiasticis ordinibus operatur, non accipiunt. Si autem non accipiunt, non habent; si autem non habent, nec gratis, nec non gratis cuiquam dare possunt. Quid ergo dant? profectò, quod habent: quid autem habent? Spiritum utique mendacii. Quomodo hoc probamus? quia si Spiritus veritatis (testante ipsa Veritate ^b, de qua procedit) gratis accipitur, proculdubio Spiritus mendacii esse convincitur, qui non gratis accipitur.

CORR. ROM. *Gratia.* Simillima primis verbis hujus Capitis habentur in Epistola Leonis I. Nicetæ Aquilegensis Episcopo scripta, quæ est 84. Loquens enim de Gratia ait, *quæ nisi gratis detur, non est gratia, sed mercer.* Reliqua apud ipsum non sunt inventa.

II. ITEM GREGORIUS I. Syagrius Episcopus Augustodunensis, lib. 7. Epist. 110. [an. 599. Româ in Galliam.]

Inaniter Sacerdos dicitur, quicumque simoniacè ordinatur.

POLYCARPUS. **Q**uicumque ^c studet pretii datione sacrum Ordinem mercari, dum non officium, sed nomen attendit, Sacerdos non esse, sed dici tantummodo inaniter concupiscit.

CORR. ROM. Caput hoc ex originali est emendatum, & locupletatum.

III. ITEM EX REGESTO. [fortè Gregor. VII. an. 1078. Româ.]

Spoletur honore, qui Ecclesiam per pecuniam obtinet.

GRATIAN. **P**resbyter si per pecuniam Ecclesiam obtinuerit, non solum Ecclesiâ privetur, sed etiam Sacerdotii honore spoliatur: quia altare ^d, & decimas, & Spiritum Sanctum emere, vel vendere, Simoniacam hæresim esse nullus fidelium ignorat.

CORR. ROM. Non est inventum in Regesto B. Gregorii, unde videtur citari. Similia habentur apud Gregorium VII. lib. 6. Reg. in indice Concilii eo anno habiti, & in Concilio Turonensi sub Carolo magno, c. 15. in Remensi, c. 21. Maguntino sub Rabano, c. 12. & altero Maguntino sub Arnulpho, c. 5. & infra, ead. q. 3. c. altare, quod ibi citatur ex Paschali.

IV. IDEM GREGORIUS I. dista Epist. 110. lib. 7. c. [an. 599. Româ in Galliam.]

^a Infra c. clem. liguat.

Benedictio ^f illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc, ut fiat Hæreticus, promovetur.

CORR. ROM. In aliquot vetustis exemplaribus Caput hoc conjunctum est superiori, & præter Epistolam 110. indicatam, eadem sententia habetur lib. 4. Epist. 55. lib. 5. Epist. 107. Episcopis Epiri.

V. IDEM in eodem. [an. 596. & 602. Româ.]

Partem habebit cum Simone, qui contra Simoniacos vehementer non exarsit.

GRATIAN. **Q**uisquis ^g per pecuniam ordinatur, ad hoc, ut fiat Hæreticus, promovetur. Quisquis ergo contra Simoniacam, & Neophytorum hæresim pro officii sui loco vehementer non exarsit, cum eo se non dubitet habiturum portionem, qui prius commisit hoc piaculare flagitium.

CORR. ROM. Verba profus ipsa hujus Capitis non sunt inventa in Epistolis B. Gregorii. Verum Paschalis Papa II. (ut est apud Ivonem, ac Polycarpum) citat hæc ex ipso Beato Gregorio: ac simillima prioris partis hujus Capitis sunt lib. 4. Epist. 55. & 56. posterioris vero partis lib. 10. Epist. 33. Victori Episcopo. Et Joannes Diaconus, lib. 3. c. 4. scribit generalem sententiam à B. Gregorio contra Simoniâ & Neophytorum hæresim prolatam, in Epistola Victori scripta contineri. Capitulum 42. Concilii Meldensis ab Ivone p. 5. c. 75. citatum, partim convenit cum ipsa Epistola Victori scripta, & partim cum iis, quæ Ivo & Polycarpus citant ex Paschali, & cum his, quæ hoc loco refert Gratianus. De qua hæresi è Gallia eicienda Gregorius lib. 4. Epist. 51. scribit Virgilio Arelatenti, & lib. 7. Epist. 110. Syagrius, & aliis Episcopis Gallia.

VI. ITEM GELASIUS Papa ad Episcopos per Lucaniam constitutos, Epist. 1. c. 26. [an. 494. Româ in Lucaniam.]

Simonis damnatio dantem & accipientem pariter involvit.

GRATIAN. **Q**uos confliterit ^h indignos meritis, sacram mercatos esse pretio dignitatem; convictos oportet arceri, non sine periculo facinus tale perpetrantes; quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis, quam Sacra lectio testatur ⁱ, involvit.

VII. ITEM AMBROSIVS in Libro Pastoralium [simò ex Concilio Toletano VIII. an. 652. in Hispania.]

Anathematis sententiâ damnatur, qui simoniacè ordinatur.

GRATIAN. **R**eperiuntur ^k quamplurimi negotio ^l muneris perituri mercari velle gratiam Spiritus Sancti: dum vile pretium donant, ut Pontificalis ordinis sublime culmen accipiant, oblitii verborum Petri, qui dixit ad Simonem ^m: *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam domum Dei edificasti per pecuniam pollutam.* Proinde, quæ & vitæ tam est sanctum malum, & Majorum frequenter constat macro-ne succisum; nos quoque huic vulneri canceroso igitur (quod superest adhuc) inficimus ferrum; decemcentes omnino, ut quæcumque deinceps propter accipiendam Sacerdotii ⁿ dignitatem quolibet præmium fuerit detectus obtulisse, ex eodem tempore se noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione Christi corporis & sanguinis alienum: ex quo illum constat execrabile Christo perpetrasse flagitium. Quòd si aliquis extiterit, qui accuset; ille, qui hunc ordinem munerum fuerat datione lucratus, & suscepto honoris gradu privetur, & in Monasterio sub perenni penitentia retrudatur ^o. Illi vero, qui hæc causa munerum acceptores extiterint, si Clerici fuerint, honoris amissione multentur: si vero Laici, anathemate perpetuo condemnentur.

CORR. ROM. *Ambrosius.* Caput hoc in Libro Pastoralium B. Ambrosii unde citatur, non est inventum. Habetur tamen in Concilio Toletano VIII. c. 3. quem Canonem integrum Anselmus lib. 6. c. 85. partem verò ipsius Ivo p. 5. c. 83. ex dicto Concilio citant.

VIII. ITEM EX CONCILIO CALCHEDONENSI, c. 2. [an. 451. in Bithynia.]

Damnatur Episcopus, qui per pecuniam ordinationem facit.

GRATIAN. **S**i quis Episcopus ^p per pecuniam Ordinationem fecerit, & sub pretio redegerit gratiam, quæ vendi non potest, ordinariveritque per pecuniam Episcopum ^q, Chorepiscopum ^r, Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet de his, qui communerantur in Clero, aut promoverit per pecunias Dispensatorem, aut Defensorem, vel Manufarium ^s, vel quemquam omnino ^t, qui subiectus est Regule, pro suo turpissimi ^u lucrî commodo; is, qui hoc attentasse probatus fuerit, proprii gradus periculo subiacet; & qui ordinatus est, nihil ex hac Ordinatione, vel Promotione, quæ est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus à Dignitate ^v, vel sollicitudine, quam pecuniis acquisivit ^w. Si quis verò mediator tam turpibus,